

Cautè itaque circà eiusmodi ægros agendum est: quùm enim aliquoties non nullos per plurimos dies sine sensu ac motu fuisse , ex historiis virorum doctorum ac fide dignorum sciamus, crudele ac impium esset, Hominem ad imaginem DEI creatum propter metum pestis , aut alicuius morbi maligni , protinus, veluti belluam inhumare, atq; hoc esset contrà omnem charitatem Christianam , & iustissimam DEI iram ergà integras etiam ciuitates ac nationes incendere atque prouocare.

Prudenter itaque faciunt Magistratus , (vti ego Genevæ, & in quibusdam aliis locis obseruavi) qui neinimem sepeliri permittunt, nisi priùs à quodam viro Artis medicæ perito, & ad hoc negotium destinato, inspecco atque explorato cadauere.

Hæc vir Clarissime ad te scribere libuit , ac simul amicè rogare volui, vt quæ huius exempli argumenta habes (scio autem te habere aliquot) ea in commune bonum familie artis Medicæ, communicare non graueris. Vale cum lectissima tua coniuge, totaque familia honestissima, quam ego, & vxor mea salutamus per amanter. Paterniaci Auenticor. 13. Septembr. 1608.

OBSER-